

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Dissertatio historico-apologetica pro Luthero, ex
acrimonio styli reprehenso**

**Danz, Johann Andreas
Prinz, Cölestinus Amandus**

Jenae, 1704

Da domine incrementum! Conspectur & Series Thesium

[urn:nbn:de:bsz:31-67590](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67590)



DA DOMINE INCREMENTUM!

Conspectus & series Thesium.

- §. 1. *Justa DEI judicia, circa Religionis Christianae vicissitudines.*
- §. 2. *Lux Evangelii, Lutheri ministerio denuò illucescens, in decem regnis Aquilonaribus.*
- §. 3. *in Germaniâ & Saxonîâ.*
- §. 4. *nec non in Lusatîâ.*
- §. 5. *Lutheri vocatio, ab adversariorum objectionibus vindicata.*
- §. 6. *Libertas lingvæ in Luthero, vel maximè reprehensa.*
- §. 7. *excandescencia illa & verborum asperitas, ab ipso Luthero pronovo agnita; magis tamen, quàm Erasmi lenitas, proficua.*
- §. 8. *Henricus II. Angliæ Rex, Lutherum ad certamen litterarium provocat.*
- §. 9. *Lutheri intrepida & animosa, adversus libellum Regis responsio.*
- §. 10. *reverentia Magistratui debita, à Luthero rursus asserta, nec in hoc scripto nibili habita.*

A

§. II. liber

- §. 11. liber Regis primùm pro suppositio habitus ; nec ta-
men majori quàm decebat sermonis libertate , vel
Melanchibone & Bucero teste , confutatus.
- §. 12. Johannes Chrystostomus , ob eandem lingua importu-
nitatem , exilio mulctatus.
- §. 13. Henricus Rex , jugo Pontificis excutiendo , mirabili
DEI judicio , primus in Angliã manum admovent.
- §. 14. Johannis Friderici Saxonis , pro Luthero apolo-
gia ; cum Seckendorffii epierisi.
- §. 15. Maimburgii querela , de Pontificis Summi autorita-
te à Luthero despectui habitã.
- §. 16. simulatam & fallax Pontificum Romanorum , ac
inprimis Pauli III. circa reformationem studium.
- §. 17. Pontificiorum frustranea de emendatione consulta-
tio , à Luthero premisa picturã ludicrã edita ; ina-
ni ipsorum indignatione excepta.
- §. 18. precatio ad Jesum Christum , pro conservandã &
propagandã Ecclesiã suã.

§. I.

*Justa
DEI judi-
cia , circa
Religionis
Christiane
vicissitudi-
nes.*



Thanasius Kircherus , ille supra
encomium positus meum pro-
fundus Polyhistor , ubi ad enar-
randas Christianæ Legis in Re-
gno Sinensi varias revolutiones
accingitur , non acutè minus
quàm verè fatur: (a) Perpetuam,
quã res humana omnes volvuntur atque revoluntur peri-
cyclosin

(a) in China illustrata P. I. c. 2. f. 4.

cycloſin, eandem vel maximè in fidei propagatione, meri-
dianà luce clariùs eluceſcere. Quas *Agyptus*, inquit,
Græcia, univerſa denique *Europa*, in fidei Chriſtiana pro-
pagatione viciffitudines paſſa ſit, non eſt quod hic deſcri-
bam, cum illa paſſim nota ſint. Eccleſias quas olim ſan-
ctitate, juſtitia & incredibili fidei zelo ſerbuiſſe legimus,
modò non duntaxat intepuiſſe, ſed omni fide orthodoxà
ſublata, partim idololatriis, partim Mahumetana legis
impurà peſte, partim denique Hæreticà pravitate conta-
minatas interiſſe, cum dolore gembundi ſpectabamus. Ut
proinde occultum circa hæc divinorum judiciorum abyſſum,
non tam inveſtigare, quàm eam cum primis admirari, &
proinde noſtram cum timore & tremore ſalutem operari
debeamus. Scit Deus, quos elegerit ex omni carne: Novit,
quos ex univerſà humani generis maſſà, ad vitam æternam
præordinavit. Et quemadmodum hortulanus, nunc ex
hâc nunc ex illà arbore, melioris nota fructûs & jam ad
maturitatem productos, reliquis miſſis neglectiſquè colli-
git: ita inſcrutabilis divina providentia altitudo, ex mil-
libus paucos, quos ipſe ſolus novit, eligit; & nunc ex hóc, nunc
ex illò orbis terre angulo, veluti fructûs vite æternæ deſtina-
tos, ſuis quandoque reſervatos temporibus & locis, depromit.
O ſtupendorum DEI judiciorum abyſſum! quam utinam
non perfunctoriè tranſiliat, verùm diligenter apud
animum ſuum reputet *GERMANIA*, penſitet *SAXONIA*,
ruminet *LUSATIA*!

§. II.

Decebant iſthac ab ovo, quod ajunt, exquiri ac de-
duci pleniùs. Enim verò meis me menſus viribus,

Lux
Evangelii,
Lutheri mi-
niſterio, de-

A 2

vercor,

nuò eluce- vereor, ne exiliter potiùs quàm dignè, tam grandia-
 scens in d- fata edisseram. Ducenti penè jam decurrunt anni, ex
 ceteris regnis Aquilona- quò LUTHERUS (b)
 ribus.

— — — — — fœdis obfistere contra
 Imperiis ausus, docuit sua secula primus:
 In Christo quòd sola Fides, nil jura ope nostrâ.
 Eterna superis adscribat civibus aule.
 Non illum tunc Roma ferox, non bruta minatus
 Fulminaque & flammâs Tiberis, non Caesaris ira
 Compresse dubii; sed eò peniti magis omnem
 Excivis virtutem animi, confringere serva
 Vincla Papæ, ut diri ferrata repagula elastrè
 Destructis, victor posset videre, catenis.

Hoc enim quum calitius decretum esset, (c) ut Agnus
 Dei regna decem: Germaniam, Bobemiam, Hungariam,
 Poloniam, Sveciam, Daniam, Norwegiam, Scotiam,
 Angliam & Franciam, à bestiâ Occidentis Papali revelle-
 ret: Ideò superioribus seculis, nulla Imperatorum poten-
 tia, nulle Regum vires, neque ulla Magnatum arma,
 Antichristum Romanum proculcare, vel insignem ejus fa-
 stum, avaritiamque & libidinem insaturabilem, labeface-
 re potuerunt: quicquid etiam optimi HENRICI, FRIDE-
 RICHI & LUDOVICI (d) nec non Francorum Reges tenta-
 rent. Prævaluit superstitio & virus Papale, mortalium
 effascinatorum animis tantâ mole ingurgitatum, ut, quam-
 vis explicationibus, fraudibus, seditionum incendiis, &
 exa-

(b) Ang. Buchnerus, in Panegyrico I. Vitteberga 1617. dicto.
 v. 75. seq. p. 284. (c) D. Philip. Nicolai, de Regno Chri-
 sti lib. 1. cap. VIII. p. 275. (d) masculi horum conatus,
 quomodo elisi & elusi sint, vid. in Gabelii Casareo-Papâ,
 P. I. s. VI. VII. p. 53. seq.

exactionibus iniquissimis vexarentur; satius tamen & tolerabilius putarent, durissima quæque gravamina perpeti, quàm Pontificii anathematis fulmen subire, & Pontifice irreconciliato mori. Tandem vero, cum Lutherus calamum in filium perditionis stringeret, & luce sacrarum literarum divinitus accensâ nobisque restitutâ, papales tenebræ dispellerentur; nutare statim decem Aquilonis regna cœperunt, & ab Ecclesiâ Romanâ divelli, quanquam non absque insigni rerum commotione, & exantlatis multarum persecutionum fluctibus.

§. III.

Ac in GERMANIA sanè, (d) non obstanti edictò Wormatiæ 1521. promulgato, nullam urbem, nullum oppidum, cœtum, Monasterium, Academiam, Capitulum, imò nullam familiam nec domum esse, in quâ non sint qui Lutheri, quam vocant, sectam profiteantur: jam dum anno 1523. asseveravit Cellius, Argentorati magnâ cum libertate Lutheri dogmata proponens. Germanis omninò præ aliis nationibus veritatis studium tribuit (e) ipse Lutherus. Neque tamen negat, id indies minui & frigescere: & proinde, quando ex Galatis, ut quidam statuunt, sint oriundi, dignos reputat, qui ἀνοήτοις Galatis conferantur.

In Germania & Saxoniam.

In SAXONIÆ verò Principum provinciis, (f) Lutheri dogma primum omnium emicuisse, ecquis ignorat? Illorum Majores pro eò introducendo & tuendo, bello &

A3

pace,

(d) Seckendorffius, Comm. de Lutherismo lib. I. sect. 45. S. CX. n. (8.) p. 179. (e) In Comm. ad Pf. 101. alleg. à Seckend. lib. III. Sect. 8. §. XXX. n. (2.) p. 84. conf. sect. 13. §. XLII. n. (4.) p. 116. (f) Idem in Prologo. b. 2.

pace, res maximas, vario eventu, eò tamen gesserunt, ut ad hunc usque diem post tot annos, nulla alia quàm eadem religio & doctrina, in provinciis Saxonici publicè locum habeat.

§. IV.

Nec non
in Lusatia.

Historiam denique charissimæ Patriæ, *LUSATIÆ* inquam, ut vel primis labris degustare liceat: annon, progressu doctrinæ Evangelicæ, in *Bohemia & Silesia*, aliquantisper & aliquandiu sufflaminatò, (g) Urbium in *Lusatia* primariarum cum pagis vicinis, à fermento Pontificio repurgatione, novum salutari Reformationi Incrementum Deus O. M. dedit? Annon *Zittavia* (h) jamdum anno 1511. M. *Laurentius Heydenreich*, primus Evangelii Præco constitutus est? Annon in repurgandâ 1522. *Gorlicensium* Ecclesiâ, primus operam navavit M. *Franciscus Anobarbus*? Annon *Budissina*, circa hæc eadem tempora, doctrinam ab erroribus Pontificiis purgatam primus sonuit M. *Paulus Coselius*? Annon *Laubanensibus* 1525. in abrogandis superstitiosis ritibus, operam suam collocavit primus, *Gregorius Hen?* Quorum exemplū, annon secuti sunt *Camentiensis & Læbavienses*? Annon eodem anno 1525. *Gorlicensis territorii Pastores Conventū* in urbe suâ egerunt, in quò unanimi consensu Pontifi-

(g) Idem Lib. II. Sect. 6. §. XII. n. (3. 4.) p. 35. decretò nempe Caroli, Ducis *Monsterbergensis*, Regni *Gubernatoris* (b) *Leuberus* in descripi. arcis *Budissin.* cap. VII. de *Austriacâ* successione lit. (ii.) p. 81. seq. Conf. *Aug. Adolphi* ab *Haugovitz*, *Prodromus Lusat.* cap. VIII. n. 46. ad finem p. 16.

Pontificii Præsulis obedientiæ renunciârunt? *Revirescunt (i) sanè ipsorum ossa in monumentis suis, ad usque auroram novissimi diei suaviter quiescentia. Faxit Deus (k) me expirare justorum transmigracione! Efficiat quæso DEUS O. M. novissima mea, qualia commemoratis effecit!*

§. V.

Ipsum verò Lutherum, cujus ministeriò in negotiis maximè momentosis uti, Sapientiæ Numinis visum est, proh! quot & quantis convitiis proscindunt adversarii. *Ich will nicht anführen (b) die grausame Verlesterung, damit sie Seine Person beschmützet; weil dessen Ehre, von seinen Nachfolgern in der Lehre, bereits stattlich gerettet worden. — Sie bringen anfänglich, bey denen so sie verkehren wollen, wider Lutherum nur gar bescheidenlich vor, daß er keinen Beruff zur Reformation gehabt; hatte dabero, wider des Apostels Pauli Lehre, in ein fremdes Amt gegriffen, und könne also wegen seines unrechtmäßigen Berufes, der Welt auch keine rechte und wahrhaftige Lehre vorgetragen haben.* Enim verò (m) summatim ut multa comprehendamus: *ordinariam omnino accepit prædicationis vocationem Lutherus, 1. cum ordinaretur ad munus Ecclesiasticum. 2. cum Professio Theologica ipsi demandaretur. 3. cum insignia & privilegia Doctoralia ipsi conferrentur. Sed quoad reformationem Ecclesie*

*Lutheri
vocatio, ab
adversario-
rum obje-
ctionibus
indicata.*

(i) Sir. 49. v. 12. (k) Num. 23. v. 10. (l) B. Gæbelius, in Casareo-Papia Rom. P. III. cap. IV. §. XVI. p. 561. (m) D. Bened. Carpovius, Jurisprud. Consistorialis lib. I. tit. III. def. 39, n. 12. 13. 14.

clesia, vocatio B. Lutheri fuit extraordinaria. Quae, licet miraculis non fuerit comprobata; quae nec opus habuit probatione Religio antiqua, jam antea Apostolicis miraculis abunde confirmata: argumentis tamen & iudiciis missionis divinae, haud fuit destituta. Fuerunt autem illae: 1. doctrina puritas, & cum scriptis Apostolicis convenientia. 2. robur & magnitudo animi, in docendo & purgando Ecclesiam, a quibusvis Pontificiis. 3. felicissimus reformationis successus. 4. praedictio Apostolica, Apoc. XI. v. 13. & c. 14. v. 16.

§. VI.

*Liber-
tas linguae
in Lutheri,
vel maxime
reprehensa.*

Quod si verò ullò uspiam colore, refractariae quae veritatem repellunt, obstinationi fucum menti-ri didicere; profectò in acrimoniâ styli, quò Lutherus subinde utebatur, se quod volunt invenisse gloriantur adversarii. Attendamus Maimurgio: qui (n) in uno maxime à veterum, quorum vestigia tenebat, Lutheromastigum instituto discessisse videtur, quod honesti viri speciem assumens, ab incredibilibus narrationibus, & insanis contumeliis quibusdam abstinuit; temperatis plerumque verborum delinimento, quos acerbiores alii indecenter erumpere fecerant, affectibus. Sic igitur (o) fatur: in fundo pectoris Lutheri, magnus superbiae & praesumptionis fomes residebat: quò ad contemnendum omnia, quae sententiae non congruebant, impellebatur. Spiritu hoc insolentiae belluinae actus, indignè tractavit omnes, qui haeresi ejus se opponerant; nullo Regum, Imperatoris, Pontificis, aut quicquid

(n) Seckend. in Praeloq. a. 2. (o) Maimurgius, de Luther. l. 1. sect. 8. n. (7.) in historia Seckendorffii p. 8.

quid magis sacrum & inviolabile toto orbe esset, respectu. Bona verbo quaeso! Maimburgi. Ab illa parte (p) Lutherus mihi pulcherrimus optimusque visus est, quae hominum mentes, propositis ex caelesti Scripturarum thesauro argumentis, convicit; tantamque qua ei opponebatur, auctoritatis & potentia machinam, veluti folia aut chartaceos pictosve muros, disjecit. Patet hinc, quò respectu Lutherani simus, quid in eò venerati secutique fuerint Majores nostri, & quam iniquè nobiscum, & frivole etiam atque impudenter agant, qui nos ad mores viri, aut ad duriuscula ejus dicta aut scripta, ablegant; in quibus excerpendis, mutilandis, cavillandis improbam sane, certè Christianis minimè dignam, consumunt operam. Peccaverit, lapsus sit, verbis factisve; longè quidem levius mitiusque, quàm inimici & amulì ejus tradidere. Id nobis humane imbecillitatis argumentum dat: at doctriinae fideique nullum affert detrimentum; cujus fundamentum, scimus, ubi quaerendum sit.

§. VII.

Equidem excandescuntiam, & quae inde nascitur verborum asperitatem, in se ipso ut navum accuavit (q) Lutherus; quin & ipso ultimò vitæ suae anno ingenuè de se dixit: *Ego liber sum ab avaritiâ, à libidine vindicat me afflictum corpus: Sola ira adhuc est reliqua; quae tamen plerumque necessaria & justa est.* Quid?

*Excandescuntia illa
& verborum
asperitas,
ab ipso Lu-
thero pro-
nato agni-
ta; magis
tamè quam
Erasmi leni-
tias, profu-
pecca-*

B

pecca-

(p) Seckendorffius, in *Præloq.* d. 2. (q) *Idem*, lib. III. *sect.* 36. §. 134. n. (8.) p. 643. (r) *Idem* lib. II. *sect.* 12. §. XXXII. n. (17) p. 87.

peccata sua largissimis cum lacrymis, maximè verò intemperantiam lingue: cui, ad discutiendos animi mœrores, aliquando se indulgisse ait. Neque tamen pœnitere se dixit, quod acerbior aliquibus fuerit: nemini enim malè affectum fuisse, aut ullum damnum dedisse. Super quo, ad Dei testimonium provocavit. Corruptissimis sanè seculi moribus, non alia quàm severissima medicina, erat adhibenda. Nam Lutherus (f) de mediâ illâ viâ, Erasmo tantopere laudatâ, dudum desperaverat. Adedque scapham scapham appellabat: quod Erasmo scurrile visum est. Sed eventus demonstravit, nihil effecisse nec Erasmus, neque alios ejusdem calliditatis aut re poris; qui aut dissimulatis, in disciplinâ & doctrinâ intolerabilibus malis, aut servatis eorum causis & alimentis, religionis puritatem restitui potuisse, sibi persuaserant.

§. VIII.

Henricus
II. Angliæ
Rex Lutherum ad certamen litterarium provocat.

Mittamus jam quæ in Eccium, Emserum, Erasmus, & alios litigii ferram cum Luthero recipiantes, dicta videbantur inhumanius. Prodeat in scenam, qui ad amplissimi regni clavum sedens, optimè de Pontifice & Clero Romano meriturus, acie non gladii sed calami, cum Luthero decernere, tantum abest ut Majestate suâ reputaverit inglorium, ut potius ultroneus in arenam provocârit Lutherum; HENRICUS II. inquam, Rex Angliæ: at quantus Antagonista! Henricus igitur, (t) aternam nominis gloriam sibi comparaturus, atque

(f) Seckend. ibid. sect. 9. §. XXII. n. (5.) p. 57. (t) Gilb. Burnet, in bist. Reformat. Anglicana P. I. lib. 1. edit. Genevensis p. 18.

atque constans cum Clero fœdus pacturus, non satis sibi duxit, autoritate suâ illi opem ferre; sed antesignanus Cleri factus, contra Lutherum, pro defensione septem Sacramentorum, scripsit. Liber iste à Clero laudibus ad calum usque, ceu præstantissimum opus sub Sole, fuit elatus. Rex idèò cum Salomone, celeberrimis què Imperatoribus Christianis, fuit comparatus; eratque liber iste objectum adulationis, per multos annos; præter gloriosum titulum, quem Papa Regi hæc de causâ largitus fuerat. Namquè LEO X. successor JULII II. maximè (u) Regem sibi devinctum reddidit, conferendo ei titulum DEFENSORIS FIDEI, in epistolâ Magnificâ, ab ipso Papâ & XXVII. Cardinalibus subscriptâ. Quò quidem Rex magnopere delectatus fuit, nihil magis affectans, quàm hunc titulum; quamvis alii Angliæ Reges ante ipsum, eodè titulo donati fuerint, teste Spelmano. Adeò facile erat tum temporis Pontificibus, Reges & Principes sibi devinctos reddere, quando titulus aliquis vel Rosa aurea, sufficiens videbatur compensatio, pro immensis præstitis servitiis.

§ IX.

Jactâ sic aleâ, si in consilium adhiberi contigisset Alb. Crantzium, procul dubio suggesturus erat eâdem timiditate, quâ (v) de Lutheri ausu contra Indulgentias Tezelianas, acceptò paucis ante mortem diebus nunciò, clamâsse dicitur: O frater Martine, abi in cellam tuam, & dic: Miserere mei Deus! Enim verò quid Lutherus? Profectò (x)

Lutheri in-
trépida ac
animosa ad-
respon-
sio.

(u) Burnet l. c. p. 11. (v) ex Chytrai Saxonîâ, allegat Aeg. Strauchius in contin. Sleidani p. 389. (x) Virgilius, Aen. IV. v. 441. seq.

— Veluti annosam validò cum robore quercum,
 Alpini Borea nunc hinc, nunc flatibus illinc,
 Eruere inter se certant: it stridor, & altè
 Consternunt terram, concusso stipite frondes;
 Ipsa haeret scopulis, & quantum vertice ad auras
 Aethereas, tantum radice ad tartara tendit.

Ita admiranda meritò est (y) nec humanis viribus, sed
 ardentissimis precibus Lutheri tribui debet, quae in eò emi-
 nuit presentia animi, & invincibilis de veritate profi-
 tendà constantia, ad conspectum & minas tremendarum
 potestatum servata; nec non dexteritas in refutandis
 adversariis: quam negare tandem, post tot extenuatio-
 nes, non planè ausus Pallavicinus, vel alius quicumque
 adversariorum. Inde est quod Lutherus, (z) Regii no-
 minis splendore haudquaquam consternatus, positâ reve-
 rentiâ tantae Majestati debitâ, Henrico pari vehementiâ
 & verborum acerbitate respondit, quâ Doctorulorum
 vulgus solebat excipere. Fecit certè hac Regis ad eam cau-
 sam accessio, ut plerique in hâc controversiâ sibi non satis
 facerent. Immò, sicut in pugna spectatorum favor, ad de-
 biliorem ut plurimùm propendere solet, & quae ab eò gerun-
 tur, licet mediocria, fiunt maximi: ita hîc adversarii
 potentiâ factum, ut haberet Lutherus populum, ad faven-
 dum causa sua, multò quàm ante proclivior. Nec ta-
 men pedibus planè ivero, in suffragium Sarpit: non
 enim debiliore, sed firmissimâ causa, patrociniatus est Lu-
 therus; nec mediocria gessit, solidissimis quippe veri-
 tatis

(y) eœ de actis Lutheri in Wormaciensibus Comitibus pronuncias
 Seehendorffius, lib. 1. sect. 42. S. 96. n. (7) p. 156. (z) Sar-
 pius, in hist. Conc. Tridentini lib. 1. edit. Lipsiensis p. 26.

tatis divinæ fundamentis innixus; nec quoddam imbecillitatis favore assentati sunt eidem Viri ingenui, verum radiis divinæ Veritatis percussi aliter facere nequiverunt. Quanquam, mitius iudicium à *Sarpio* quidem ceu Pontificii gregis propugnatore, num facile expectaveris?

§. X.

Ab sit verò quàm longissimè, abjecisse Lutherum, quæ Magistratui debebatur, reverentiam! Contrarium planè docent, cum scripta ejus varia, tum in primis explicatio Psalmi LXXII. (a) ad officium pii & Christiani Magistratûs cognoscendum, & arguendos qui in eò committuntur errores, summâ cum parrhesiâ & facundiâ, sed & piè atque solidè, anno 1530. elaborata. Indicat enim in præloquio, *quàm contemptim olim, à Monachis de pulpito declamantibus, tractati sint Principes & Magistratûs; horum verò dignitatem, Evangelii doctrinâ, verè rursus esse assertam.* Unde *GEORGIUS Princeps Anhaltinus, Administrator Mersburgensis* (b) egregiè Evangelicam doctrinam hòc nomine laudat, *quantum post reformationem venerationis accesserit Principibus & Magistratibus, omnibusquè qui aliis præsunt; quorum omnium, nulla pene ratio habita fuerit, sub Papatu.* Eant nunc claustrales Monachi, ac ingeminatis subinde convitiis Lutherum lapident! Ecce virum *Principem*, cui Ecclesiæ cura vel maximè cura fuit! Ecce honorificum de *Luthero* testimonium! Ecce *Principes*, de restitutiâ per *Lutherum* Magistratui dignitate suâ, sibi invicem congratulantes!

Reverentiâ
Magistrati
ini debita,
à Luthero
rursus asser-
ta, nec in
hoc scripto
nibili habita

B 3

§. XI. Ad

(a) ex Tomo V. Altenb. citat Seckendorffius, lb. II. sect. 36. §. 83. n. (19.) p. 215. (b) Idem lib. III. sect. 30. §. CXLII. Add. I. lit. (u) p. 502.

*Liber Regis
Primum pro
suppositio
habitu; nec
tamen ma-
jori quàm
decebat ser-
monis liber-
tate, vel Me-
lancthone
& Bucero u-
dice, consu-
tatu.*

Ad hæc ipsum de Septem Sacramentis libellum, ab aliò quòquam conscriptum, deinceps præfixò Regis nomine editum, ne quis contra ipsum mutire vel hiscere (Regii quippe Nominis fulgore, ceu fulgure, percussus) auderet, arbitratus est Lutherus. Sic sanè *Erasmus* etiam ad (c) *Cocblæi* scripsit: *Quod subdubitare videris, an Rex Henricus libellum, ac duæ epistolas adversus Lutherum suo marce confecerit; id tibi cum multis commune est. Nec mirum; cum hætenus prodigii simile sit habitum, præsertim apud Germanos, Principem scire literas. Caterùm, ut non contenderim, neminem scribenti fuisse auxilio: cum eruditissimi quique viri nonnunquam utantur amicorum subsidiis; ita non dubitem affirmare, ipsum eorum, quæ edit, parentem & auctorem esse. Esto igitur, ipsiusmet Henrici nativum, hunc esse partum: quippe qui (d) ad sacra destinatus, quàm fratrem seniore habet, sub optimis præceptoribus ætate trita, & in sacris Scripturis plurimum versatus, sæpius magnâ laude cum doctissimis Britannorum disputasse, prædicatur à Johanne Clerico, Leoni X, librum Regis in confessu Cardinalium oblaturus. Enim verò Regem pro eò habeant, qui depositâ Regis personâ, Monachum Thomistam induit, & cum viro peregrino, liberrimi ut sciebat animi & oris, congregi eumque convitiis proritare, non est veritus. Profectò indignitate rei motus Melancthon, alioquin subtimidus, ad Capitonem ingenuè scripsit: (e) Negare non potestis, quin*

(c) Dan. Harenaccius, in notis ad Hornii Hist. Eccl. N. T. Per. III. Art. I. §. XI. n. (13.) p. 434. (d) Seckendorffius lib. I. sect. 46. §. CXII. n. (1.) p. 184. (e) Idem §. CXV. n. (3.) & (5.) p. 188.

quin Lutherus Evangelium doceat. Id rejicitis, si Lutherus rejicitur. Nec ignoro, te acerbitate offendi. Sed quid? si divinitus accenditur *εὐαγγελιστάς*. Obsecro! vide, qui rerum ac temporum status sit: quò sale opus sit istis tàm pingvibus Dominiis. Nunc tibi contigit, qui saliat; vosne conculcabitis? Paulus cadere præcipit, ne Spiritus extinguatur: quod ne à vobis præsetur, annitere. Unde memorabilis vox est Doctoris Pomerani, (f) qui dixit: Opinabar, Patrem nostrum Lutherum, nimis vehementem esse, in Henricum Regem Angliæ; sed jam video, nimis lenem fuisse, & vaticinatum esse de horrendo lapsu Regis: Ita ut fateri cogar, Spiritum Sanctum diclasse omnia verba Lutbero, cujus spiritus non est alius, nisi sanctus, verax, constans & invictus.

§. XII.

Porro accersamus huc verba Ecclesiastæ, (g) filii David, Regis Jerusalem: *Quid est, quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est, quod factum est? ipsum quod fiet. Nihil enim sub Sole novum; nec valet quisquam dicere: Ecce, hoc recens est. Jam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt ante nos.* Johannes Antiochenus, facundiâ & flumine quòdam orationis aureò cognomen Chrysofomi meritis est. (h) Innumerabiles libros composuit, verbis ornatos, oratione elatos, exquisitos cultu: patiens laboris & vigiliarum, abhorrens à libidine. Quarum virtutum conscientia superbiens, immi-

Johannes Chrysofomus, ob eandem linguæ importunitatem, exilio multatus.

(f) Ibidem in Add. lit. (c.) p. 189. ex Selneccero. (g) Eccl. c. 1. v. 19. 10. (h) Vita, genus, conversatio & alia de Chrysofomo exponuntur in Hist. Eccl. Tripartita integro serè libro X. c. III. & seqq. p. 546. & seq.

immitis erat, & asperæ cujusdam libertatis erga omnes, insultator & iracundus; non tangi reverentiâ, neque calamitate (i) ullius. Qui etiam ita liberè in Augustum (k) nonnunquam invehi sivevit, ut maledicus haberetur. Omninò fuit animi excelsi, superbix criminè non caruit, severitatis (l) odiosa: sed profectò illorum quoque temporum vitia secari atque uri, non levibus medicamentis curari voluere. Pertinacia etiam ejus reprehenditur. Semel atque iterum in exilium missus, tandem relegatus in locum ultimum, Imperii Romani, in itinere moritur: relictis contentionibus, etiam de se mortuò posteritati gravibus, & diuturnis. Hæc quidem (m) Camerarius. Ego tamen non ausim, Sanctissimi atque Beati Patris Chrysostomi, minimam quidem erratum, cum maximâ laude conjungere. Habent sanè, sancti etiam, & magni viri, sua *ἰσχυρὰ μελέματα*. Quibus tamen non ad insultandum ipsis irritari, sed ad cautè prospiciendum de salute nostrâ accendi, nos decet. Quis enim Chryso-

stomo

(i) digisum intendit ad Eutropium Eunuchum, Præpositum cubiculi, de quò c. IV. p. 548. (k) non quidem in ipsum Arcadium, eò tempore Imperio præsedum, sed in Eudoxiam Augustam; quæ sermones Chrysostomi cognoscens, velut injuriam suam narravit Imperatori, dicens illius magis esse contumeliam, quæ ipsius uxori fieret. vid. Hist. Trip. c. 13. p. 556. & c. 15. p. 558. (l) quum primùm Clero tantummodò esset exosus, machinationes contra eum non omninò valuerunt; cum verò etiam plurimos Procerum objurgare cœpisset, tunc invidia contra eum major accensa est. Hist. Trip. l. X. c. III. p. 548. (m) In Catalogo Episcoporum, annexo lib. V. hist. Eccles. Theodorici p. 848.

flomo, (n) propter simplicitatem oris libertate profuso, propter zelum castitatis severiori, & propter vitæ rectitudinem de futuris prospicienti incautiùs, hanc derogaverit gloriam, quod docendo præcipuus fuerit, ac utilis ad corrigendos audientium mores? quod denique, si vel maximè nãvis suis infectus fuerit, cum Paulo ceu σκῆυος ἐκλογῆς θεῶ, portaverit (o) nomen Domini coram gentibus, & Regibus, ac filiis Israël.

§. XIII.

Sed redeamus ad Lutherum. Numquid igitur commemoratò ipsius in Angliæ Regem scriptò, tanquam aggere oppositò, in decursu suo remorata vel planè clausa sunt, veritatis Evangelicæ flumina? Numquid efficaciam verbi divini, liberioribus Megalandri nostri dictis factisve, obex est positus? numquid potentiam Numinis O. M. in convertendis hominibus, ex imbecillitate hominum, quorum ministeriò in revelandis suis mysteriis uti Summæ Sapientiæ visum est, potentiam Numinis inquam metiemur? Minimè verò sanus quisquam ita iudicabit. O profunditatem (p) divitiarum, & sapientiæ, & cognitionis DEI! quàm inscrutabilia sunt iudicia ejus, & impervestigabiles viæ ejus! Nimirum an. 1534. HENRICUS IIX. Angliæ Rex, (q) in causâ matrimonii à Clemente VII. variè dilatus & delusus, omnem Pontifici Romano in Regno suo potestatem, lege publicâ abrogavit. Licet autem dogmata quedam Romana præcipua, & imprimis Missam retineret, & in eos qui Lutheranismum aperte

Henricus
Rex iugo
Pontificis
excutiendo,
mirabili DEI
iudicio, pri-
mus in An-
gliâ manum
admoſet.

C

proſt.

(n) Trip. l. c. p. 547. (o) Act. p. v. 15. (p) Rom. XI. v. 33. (q) Seckendorffius, lib. III. sect. 8. §. XXXI. n. (6.) p. 89. Aliùs hac repetit Sarpius in historiâ Conc. Trid. lib. I. p. 110. seq.

profiterentur, haud leviter se viret; ad reformationem tamen, postea in Regno secutam, viam stravit: immò plurimis occasionem dedit, ut veritatem Evangelicam, permisâ Scripturae S. lectione, & abrogatis aliquot abusibus, perciperent & foverent. Usque adeò, veluti prudens hortulanus, hortum arboribus atque floribus confutum, limpidiſſimorum fontium laticibus, per quascunque demum collubuerit areolas, artificiosè distingvit! Usque adeò, inquam, Supremo illi Orbis Opifici atque Arbitro planè non est operosum, humanorum cordium figmenta, ad gloriæ suæ incrementum, huc ducere, illuc reducere! Ita Regem, qui suum modò pro Religione zelum, quibuscunque demum poterat viribus, Clero & Pontifici Romano probare contendebat; eundem, se unicum fore Regni sui Dominum ac Patronum, sicuti Papa unicus est Romæ Episcopus, lege promulgatâ, & capitis pœnâ secus sentientibus constitutâ, sancire contigit. Ita ampliora indies, revelandis nugis atque illaqueationibus Antichristi, amplificandisque vicissim hâc ultimâ temporum periodo Evangelicis concionibus, in Angliâ & reliquis regnis Aquilonaribus æquè ut in Germaniâ, Deus O. M. Incrementa dedit! Cujus sapientiam & bonitatem admiratus Lutherus, (r) ita scribit: *Quia nos mendaciis perditè onerârunt, & simpliciores per ista mendacia in suo cœtu retinere voluerunt: Deus opus suum subinde promovit, & ipsorum cœtum reddidit minorem, nostrorum verò majorem; ac ipsos ob mendacia confudit, & confundit etiamnum.*

Johannis
Friderici Sa-
nis pro Lu-

§. XIV.

Claudat denique agmen, JOHANNIS FRIDERICI
Electo-

(r) in Prefat. Artic. Smalcald. p. 300.

lim, ut in his styli præcipitiis Lutherum sequatur. Mo-
veri tamen me fateor, tanti Principis iteratâ, & Lega-
tis suis graviter insinuatâ professione: cui maximos il-
lius avi inter Evangelicos Viros, *Pontanum*, & ipsum
aliquando *Melanchthonem*, astipulatos esse scio. Unde
tutius puto, à censoriâ severitate abstinere, & in hoc
acquiescere: quod sententiæ Lutheri, in fidei præsertim
capitibus, firmis innitantur fundamentis; nec veritati
eorum quicquam decedat, etsi verbis aliquando desit,
quam plerique requirunt & amant, lenitas aut vere-
cundia.

§. XV.

*Maimbur-
gii querela,
de Pontifi-
cis Summi
autoritate
à Luthero
despectui
habita.*

At ne sic quidem, inquam Pontificii, elisa sunt
quæ in Lutherum vibravimus tela. Enimverò omni-
bus illis criminationibus refellendis, quotusquisque
sufficiet? absit à me hæc dementia, quâ calumniis il-
lis retundendis, vires meas quantulasunque pares fo-
re, præsumerem! aliquam saltem ex præcipuis objectio-
nibus, allatis probatorum Scriptorum monumentis, di-
luere allaboravi. Attendamus tamen (r) *Maimburgio*:
à Luthero indignè habitos omnes dissentientes, nullò Re-
gum, Imperatoris, Pontificis, aut quicquid magis sacrum &
indiolabile totò orbe esset, habitò respectu, oggannienti. Ec-
ce verò *Maimburgium*, egregium Romani Pontificis as-
sentatorem & adulatorem! Ecce verò Pontificem,
supra omne quod sacrum & inviolabile totò orbe esset,
evectum! Ita prohdolor! evenit (u) *ut exalta-*
ret se AntiChristus Romanus, & magnificaret super o-
mnem Deum: jura & leges Politicas, obedientiam &
Magistratus, pedibus suis subjiciendo, & cum voluit, tollen-
do

(r) Vide supra §. VI. lit. (o) p. 8. (u) Lutherus, in Com. ad Dan. 12. v. 36.

do & evertendo; Caesares, Reges & Principes dejiciendo, devovendo & extinguendo, subditosque eorum & filios ab obedientia, excommunicationis fulmine, absterrendo; in summa, pro libidine sua procaciter agendo omnia, tanquam nullis legibus, nulli juri subjectus. Ita ne hiscere quidem ausus est Maimburgius, sed caeco atque coacto consensu approbare debuit Prieriatem & alios, (vv) quintam Monarchiam Pontifici tribuentes. Unde sequebatur, Imperatores, non nisi clientela & beneficii titulo, dignitatem suam ex manibus Pontificum tenere.

§. XVI.

Non hic locus est, de terminis Imperatoriae Potestatis, & Pontificiae usurpationis, copiosius differendi; de actis tamen Pontificum circa Reformationis negotium, aliquantisper dispiciendi veniam peto. Cum enim Nationis Germanicae (x) contra Cleri abusum gravamina, jamdum anno 1518. in Comitibus Augustanis, Maximiliano I. Imperatori exhibita fuissent; quibus remedendis, cum ipsi etiam Catholici Germaniae Ordines (y) Concilium desiderarent atque peterent: Cum denique Imperator Carolus V. (z) de convocatione Concilii, cum Clemente VII. expostularet: (a) Tum demum, qui

*Simulatum
& fallax
Pontificum
Rom. &
in primis
Pauli III.
circa Refor-
mationem
studium.*

C 3

anno

(vv) See kendorffius, lib. I. sect. 34. §. 81. Add. I. lit. (d) p. 127. (x) Idem, sect. 56. §. 145. n. (z.) p. 256. (y) Idem, lib. III. sect. 21. §. 79. Add. II. lit. (q) p. 274. (z) Idem lib. II. sect. 10. n. (2.) p. 65. (a) de fraudibus & recednis, quas in Concilio elidendo, protelando, stabiliendo & abrumpendo, adhibuerunt Hadrianus VI. Clemens VII. Paulus III. Julius III. Paulus IV. Pius IV. Praesules vaserrimi; ως εν συνόψει dijudicat B. Gabelius in Caesareo-Papae Romanae P. III, cap. I. n. VIII. & seq. p. 369. & cap. II. p. 401.

anno 1534. è vivis exemitò *Clemente VII.* in Pontificem inopinatò fuit adscitus, *Paulus III.* (b) vir præclaris animi dotibus conspicuus; sed qui ipse dissimulationem ante cæteras omnes diligebat. Ille, inquam, Collegii Cardinaliũ Decanus, & sex Pontificum temporibus partem experientiã in rebus agendis plurimum versatus: volebat videri, non ad instar *Clementis* Concilium reformidare; sed illud, tanquam utile rebus Pontificiis, potius deposcere & desiderare: eò quod clarè perspiciebat, hoc quasi integumentò, multa quæ animo conceperat, posse obvelari; multa item, à quibus esset alienior, posse declinari. Hinc anno 1536. diploma evulgavit, ad civitatem Romanam (c) totius orbis Christiani caput, & doctrinæ, morum, atque disciplinæ magistram, ob omnibus vitiis & corruptelis emendandam: ut suã nimirum domo repurgatã, reliquas facilius repurgare liceat. Cui quidem oneri, cum ipse solus sufficere non possit; in eam rem delegisse Cardinales aliquot, gravissimã omnibus pœnã denunciatã, qui his quòvis modo parere recusent. Complures verò in Italia in sequiorem partem interpretabantur, (d) altò deinceps eam rem premi silentio; sicuti totos tres annos quieverat, ex quò assumptus ad Pontificatum *Paulus*, primitus eam proposuerat. Ad delendam igitur istam ignominiam, & fidem eorum elevandam, qui asperioribus Ipsum verbis perstringerent; statuit sui reformandi, Cardinalium, & aulæ Romanæ negotium, 1537. denuo aggredi, in id delectis quatuor Cardinalibus & quinque Præsulibus. Hisce novem mandavit, ut morbos qui medicam manum require-

(b) *Sarpinus in Hist. Concilii Trid. lib. I. p. 117.* (c) *Idem l. c. p. 130.*
 (d) *Idem l. c. p. 136. usque ad. 138.*

quirebant, accuratiùs circumspicerent : remedia simul eisdem citò & facilè removendis, applicarent ; ut ad bonam valetudinem Ecclesia posset redire. Cujus reformationis capita diligenter collecta, & scripto comprehensa, ipsi etiam Pontifici tradiderunt. Cum verò sententiis variarent Cardinales, super hoc negotio reformationis : in aliud tempus fuit & hâc vice rejectum. Tantùm præcepit Pontifex, ut res omnis silentiò tegeretur. Ipse tamen *Cardinalis Capuanus*, ejus scripti exemplar misit in *Germaniam*. Quod nonnulli consciò Pontifice factum arbitrabantur, ut homines intelligerent, non deesse Romæ, propositum aliquod & studium emendationis.

§. XVII.

Consultatio igitur isthæc in *Germaniam* delata, (e) cum animadversionibus *Job. Sturmii* Latinè Argentorati, Germanicè Wittebergæ, cum epistolis Lutheri, excusa postea fuit ; præfixâ primæ editioni *picturâ*, qua Pontificem in sublimi solio sedentem representat, quem Cardinales quidam circumstant, caudis vulpinis, longuriis alligatis, omnia perpurgantes. Eadem sanè cum Luthero mens fuit *Richerio Sorbonista*, non de hâc solùm reformatione *Pauli III.* sed & de Synodo Tridentinâ querentis : quod non nisi putativam & fictitiâ reformationem instituerit. Non igitur satis causâ erat, quod ob hoc

*Pontificio-
rû frustra-
nea de e-
mendatione
consultatio
à Luthero e-
dita, præ-
missâ luctu-
erâ picturâs
inani ipso-
rum indi-
gnatione
excepta.*

(e) *Seckendorffius lib. III. sect. 16. §. LIX. n. (1.) & (5.) pag. 163.*

hòc scriptum, vel isthanc, vel quamcunque aliam contra Pontificem Romanum picturam, tantà in Lutherum indignatione accenderentur Pontificii. *Vergerio* sanè Pontificis Nuncio, mirabili cum (f) constantiâ, generosisque cum sententiis, quas maximus quisque proferre posset, respondens exhibetur à *Sarpio*: *Suâ non referre admodum, quò apud Curiam Romanum sit locò; cujus nec odium extimescat, nec requirat benevolentiam.* Exagitant itaque quàm possunt vehementissimè, illam etiam Lutheri, Smalcaldiâ 1536. abeuntis, vocem (g): *Respexisse enim urbem fertur, in quâ celeberrimus conventus erat, & dixisse: Impleat vos Deus odio Papa.* Præsupponebat enim, Papam (h) hanc quam usurpat dignitatem, iniquè occupasse; adhæc cum suis in Doctrinâ errare, in moribus corruptissimum esse, & in Evangelicos vi & astu grassari, Testatus autè multoties est, si ista corrigi possent, se præ omnibus aliis, summò honore Pontifices profecuturum esse.

§. XVIII.

*Precatio ad
Jesum Chri-
stum pro
conservandâ
& propagandâ
Ecclesiâ
suâ.*

Sed ne nausèa cuiquam, longiùs producendo sermonè moveâ, abruptâ hòc locò filii, (i) *Tu verò dulcissime Jesu!*
mure

(f) *Sarpius, lib. I. p. 123. seq. conf. Seckendorffii lib. III. sect. 11. p. 95.*
(g) *Idem sect. 16. §. LX. Add. lit. (a) p. 165. (b) Vid. Præfat. Lutheri in Epist. Hieron. ad Evagrium, de Potestate Papa: Tom. 0 IV. Jen. lat. p. 408. & conf. Greg. Max. contra superbiam Jobannis Episcopi, epist. 34. 36. 38. (i) D. Phil. Nicolai, de Regno Christi lib. II. c. X p. 405.*

mure ignee & inexpugnabilis, noſtraquẽ ſalutis A & Ω
 prora & puppis: Eccleſiam tuam, tuorum promiſſorum,
 memor non deſeras, præſertim hoc tempore, quò truculen-
 torum hoſtium crudelitatem ſanguine ſuò abluere cogitur,
 & variarum in ſuper hæreſeon flammis jaculisque petita,
 nequiſſimis ſpirituum inquietarum iſectationibꝫ ſarcaſmis
 & probris diſcruciat. Miſerere anxietatum ejus & lacry-
 marum: & calamitates, dulcedine favoris & auxilii tui
 præſentis, temperato; ne nunc penitus, in ſenectute &
 canitie ſuã, collabi & interire videatur, qua tot ſeculis
 tuo nutu deſenſa perduravit. Ante omnia eam in hiſce
 locis, & in Germania tuã, Saxoniã tuã, Luſatiã tuã,
 perpetuò tibi collige, hoſpitiaque præbet conſerva: Ut non-
 nihil conſopitis quarumcunque furiarum flabellis, ſaluta-
 ris Evangelii lumen purum & caſtigatum, ex Aquilonari
 hoc terrarum cardine, ad populos Orientales refundatur,
 ad Indos, ad Æthiopes, ad Americanos penetret; & o-
 mnes terra, proſtigatis ſuperſtitionum ſuarum tenebris,
 tuo verbo ſincere ad hæreſcant, vitamque æternam conſe-
 quantur. Amen.

SOLI DEO GLORIA!



D